



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

In Tit. XLII. De Baptismo, Et Ejus Effectv.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

## IN TIT. XL. DE CONSECRATIONE ECCLESIAE VEL ALTARIS.

## SUMMARI A.

*Consecratio in quo differat à reconciliatione.*

**R**ectè sequitur hic Tit. de consecratione &c. quia proximè dictum est de censibus, solere scilicet imponi censum Ecclesiis tempore consecrationis. \* Differat autem consecratio à reconciliatione, quia consecratur quod profanum omninò est, & nullo modo sacrum, vel quod

sacrum esse desit, veluti si parietes Ecclesiae corruerint. Reconciliatio verò fit per asperzionem aquæ benedictæ cum vino & cinere, c. *Proposuisse* 4, h. t. Et quod reconciliatur tamen si fuerit pollutum respectu nostri, verè tamen manet sacrum. Panorm. in c. *Consuluisse* 7, h. t. *Glos & Dd. eod. tit. in* 6, Vide D. Canif. in *Summa lib. 2, tit. 22, §. 6, & seqq. V. A.*

## IN TIT. XLI. DE MISSARVM CELEBRATIONE, ET SACRAMENTO EUCCHARISTIÆ, ET DIVINIS OFFICIIS.

**T**raçtatur deinceps de Clericorum officiis, atque ira ordine de Sacramentis, inter quæ excellentissimum est S. Eucharistiæ, cu-

jus explicatio propria est Theologorum. Vide D. Canif. in *Summa lib. 2, tit. 5, & d. tit. 22, §. 2.*

## IN TIT. XLII. DE BAPTISMO, ET EJUS EFFECTV.

**B**aptismus omnibus omnino necessarius est; ejusque administratio solis quidem Clericis erga sibi subditos ex officio competit: ita tamen, ut ea & à quolibet alio, etiam heretico atque infideli, utique in casu necessitatis facta vim & effectum suum habeat, *can. Solet etiam* 31, de

*consecr. dist. 4.* Nemo tamen in necessitatis articulo seipsum baptizare potest, sed inter baptizantem & baptizatum debet esse personarum distinctio, c. *Debitum* 4, h. t. Plura D. Canif. in *Summa lib. 2, tit. 3.*

## IN TIT. XLIII. DE PRÆBYTERO NON BAPTIZATO.

**T**alis ordinis characterem non recipit, & proinde baptizandus, iterumque ordinandus, c. 1,

*§. 3, h. t. Vide Canif. d. tit. 3, §. 7.*

## IN TIT. XLIV. DE CVSTODIA EVCHARISTIÆ.

**V**T autem quolibet tempore & in omnem necessitatem Eucharistiæ copia haberi possit, jubent Canones Eucharistiam & Chris-

ma fideliter custodiri, vasaque sacra & vestimenta nitidè conservari, c. 1, & 2, h. t. Canif. *lib. 2, tit. 4, §. 6.*

## IN TIT. XLV. DE RELIQUIIS ET VENERATIONE SANCTORVM.

**N**emini quoque dubium esse debet, Sanctorum invocationem, eorumque in sacris reliquiis, dierumque festorum celebratione venerationem magni faciendam esse, dummodò à Sede Apostolica solemniter in catalogum Sanctorum relati fuerint, c. 1, h. t. c. *unico eod.*

*tit. in 6, juncto decreto Conc. Trid. Sess. 25, de reform. Vide doctissimè differentem de dierum Festorum apud Christianos celebrandorum more, ratione & origine Did. Covarr. lib. 4, Variar. resol. c. 19.*

P p 2

IN